

Carmen sollemne.

Composuit Georgius Mair.

Dic mi, Camena, quid potius die
Sollemni dicam? quid ego muneris
Ferens accedam aris, **iuventus**
Quas **patriae** instituit **amori**?

Magna Imperatrix ac decus Austriae
Scholam fundarat, lumina mentibus
Latura, quae **lustris triginta**
Ingeniis iuvenum hic fulsere.

Triginta lustris hic numerus frequens
Doctorum, **amore** cum imbuit **Austriae**, et
Doctrina et **disciplina** morum
Excoluit puerorum mentes.

Neque ergo alumnus illius immemor
Grates acturus, sospitet ut Deus
Domum Habsburgensem omnes in annos
Nunc memori precor **Illi** amore.

Sed et recordor, qui beneficiis
Nos adfecere et nunc quoque dividunt
Victum fratres ut invitantes
Pauperiorum opulenti prolem.

Remuneretur haud vice simplici
Mentem benignam et amplificet novos
Creando sensu liberali
Munificos **Deus immortalis**.

At cui rependens munere maximo
Grates persolvam? cuinam ego **sanguinem**
Vitamque devovens amice
Primitias iuvenum dicabo?

Est **Imperator**, est pater optimus
Et **Rex** suorum, **cultor** et **artium**
Nec non et **litterarum** fautor,
Est **patriae** pater atque **rector**.

Unde Ille rerum est optimus arbiter,
Iuste ac prudenter tot populos regens,
Quantum aucta vis est **excultorumque**
Imminuit **rudiumque** molem!

Pro tantis ac tot Illius obsecro
Laudem perennem rebus et, ut dicit
Numen divinum **sempiternam**
Caesareae Domui Salutem!

